



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Praefatio, Sev Apparatus Regis Alvredi Magni Ad Leges Svas Tam Ecclesiasticas quam ciuiles, e sacra pagina desumptas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

P R A E F A T I O ,  
S E V

<sup>†</sup> Nonnulli  
Alfredum,  
& Alfridum  
nominant.  
Filius erat  
Ethelwul-  
phi regis  
Anglofa-  
xonum.  
*Exod.* 20.  
Versio Guil.  
Lombard.  
c Saxonico.

APPARATVS REGIS † ALVREDI  
MAGNI AD LEGES SVAS TAM ECCLESIASTICAS  
quam ciuiles, e sacra pagina desumptas.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
887.

**L**OCUTVS est Dominus ad Moysen sermones hos, dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex Aegypto domosser uitatis. Deos alios nullos praeter me habeto. Nomen meum inaniter ne adhibeto, neque enim te sinam impunitum, si nomen meum frustra adhibueris.

Diem sabbati sancte agere memento: sex diebus tuas res agito, septimo autem die ab omni labore cessato, tu & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, iumenta tua, & apud te degens peregrinus. Nam cum sex diebus fecisset \* Christus cælum, terram, mare, <sup>de</sup> quæque in eis sunt omnia, conquienit die septimo, & propterea diem sabbati sacrum esse voluit.

Patrem tuum matremque quos Deus tibi dederit honorato, ut din ætatem producas in terra.

Hominem ne occidito.

Ne furator.

Ne adulterator.

Falsum testimonium contra vicinos ne dicio.

Vicini bona ne concupiscito.

Deos aureos aut argenteos ne facito.

*Exod. 21.* Hæc autem eis iura propones. Si quis emerit seruum \* Christi- <sup>Hebrei</sup> num, sex annos seruito, septimo autem anno manumittitor gratis. qualicumque ueste induitus venit, tali manumittitor: atque si uxorem haberit, ea simul exito. Si dominus ei uxorem dederit, femina & nati domini sunt. Quod si seruus dixerit: Teneor amore domini mei, uxoris, natorum, & rerum mearum, nec cupio manumitti; eum dominus ad \* templi ostia adducito, eique ad postem applicato aurem subula perforato: & ille ei perpetuum seruito.

Si quis filiam suam vendiderit in famulatum, ea ne ancillarum in morem seruito. in extraneam gentem vendendi potestas ei non esto. Verum si ea domino displicebit, in alienam gentem liberam manumittito. At si eam filio suo destinauerit, uestitum,

*pudicitiae precium, dotemque ei concedito. Si nihil horum ei præstiterit, manumittitor gratuito.*

*Qui volens hominem occiderit, morte mulctator. At qui non est insidiatus, sed in eum inuitus, necessitate impulsus, aut forte fortuna (quasi sibi a Domino in manus traditum) incurrit, ad asylum confugito, vitaque ac iuris publici commoditate fruitor. At si quis proximi sui necem per dolum de industria machinatus fuerit, is vel ab ara mea ad necem abstrahitor.*

*Qui patrem aut matrem percusserit, capitale esto.*

*Qui hominem liberum clepsierit, eumque vendiderit, capitis pena esto.*

*Qui patri aut matri maledixerit, morte pleictor.*

*Si quis alterum orta contentione percusserit lapide vel pugno, ita tamen ut foras baculo innixus iuerit, medicum ei adhibeto, atque opera ea quæ infirmus patrare non poterit, ipse vicaria præstato.*

*Si quis seruum aut ancillam suam percusserit, si quidem diem unum aut alterum superstes fuerit, non tenetor, quoniam pecunia eius est: verum si praesens mors secuta fuerit, tenetor.*

*Si quis dimicando mulierem grauidam percusserit, ad eam rem arbitri sunto, ad quorum aestimationem damnum sarcito: Sin mortua fuerit, vitam pro vita pendito.*

*Si quis alteri oculum effoderit, oculum pro oculo pendito, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, vibicem pro vibice.*

*Si quis serui sui, aut ancillæ oculum percusserit, eumque corruperit, eum pro oculo manumittito: & si serui sui aut ancillæ dentem excusserit, eum pro dente manumittito.*

*Si bos virum aut feminam cornu petuerit, & is mortuus fuerit, bos lapidator, eius caro ne comestor, dominus autem bonus impunitus esto, modo bouem iam biduo aut triduo petulcum fuisse non scinerit. At si dominus eius admonitus fuerit, neque tamen custodierit, isque virum aut feminam occiderit, & bos lapidator, & dominus eius morte pleictor, aut vita suæ precium dato, quantumcumque ei fuerit ab arbitriss impositum. Siue puerum, siue puellam petuerit, idem iuris esto. Seruum aut ancillam si petuerit, argenti ter deni solidi domino soluuntor, bos lapidator.*

*Si quis fossam aperuerit; vel dimiserit, nec obduxerit, aestimationem iumentorum quæ eo deciderint præstato, ipse mortua habeto.*

*Concil. Tom. 24.*

*Y y ij.*

*Si cuius bos alterius bouem vulnerarit, atque is mortuus fuerit, bouem viuum vendunto, atque eius precium & mortuum etiam domini diuidunto. At si domino compertum fuerit bouem antea petulcum fuisse, neque eum dominus eius custodierit, bouem pro boue pendito, ipse carnem habeto.*

Exod. 21. *Si quis bouem alterius cleperit, maſtauerit, vendideritve, \* duos bones pro uno reddito, & quatuor balantes pro una. Si non habet unde reddat, ipſe pro furto venditor.*

*Si fur noctu in domum alterius inuasurus percutiatur, atque mortuus fuerit, homicidii pena non eſto, niſi orto sole: tum homicidii pena sequitor, ni eum alter necessitate impulsus percussit. Si deprehensum fuerit penes eum vita præditum quidquam quod cleperit, duplum reddito.*

*Si quis alterius vineæ, terræ satæ, aut pascuæ damnum intulerit, sarcito.*

*Si segetem immisſus ignis corruperit, aut ignis detrimentum præstato.*

*Si quis apud alterum bona deposuerit, qui ea clam surripuerit, duplum præstato: at ſi compertum non habuerit ea quis cleperit, ipſe quod dolo malo non eſt uſus fidem facito. Si vita præditum fuerit quod fidei ſuæ commiſſum eſt, atque is teste adhibito, ſiue ab hostibus abactum, ſiue mortuum eſſe conſiſtarit, rem ne reddito: verum ſi testem non exhibuerit, nec ſe culpa liberare potuerit, iuſurandum interponitor.*

*Si quis virginem non ſponsam pellexerit, & cum ea rem habuerit, mulctatus pecunia eam ſibi in matrimonium dotato. Si pueræ pater eam illi locare nolit, argento pendito ut fert dos virginum.*

*Feminas sagas, incantatrices, & ariolantes mulierculas, viuere ne ſinito.*

*Quicumque rem habuerit cum bestia, capite pleſitor.*

*Qui diis sacrificauerit, intereat.*

*Peregrinum aut incolam ne lædito, nam peregrini fuſiſis in Aegypto.*

*Viduam nullam aut pupillum premito, neve angito. Si prefferris, cum ad me conquerentur, eorum ego querelas exaudiam, & vos ferro trucidabo meo, eruntque uestræ coniuges viduae, & liberi pupilli.*

*Si cui tuorum ſocio tecum versanti pecuniam mutuam dederis, ne te ei feneratorem præbeto, neve ei uſuram imponito.*

*Si vestem alterius qui id unicum habet oportentum in pignus acceperis, ante solis occasum redditio: quia si apud me questus fuerit, ego quidem illum pro mea misericordia exaudiam.*

*Domino tuo ne maledicito, neve eum execrator qui est in natione princeps.*

*Decimas, primigenia, & adulta tua Deo dato.*

*Carnem a bestiis laceratam negustate, sed ad canes proiicitote.*

*Mendacis rumulos falsos ne accipito: ei ne auscultato, neve Exod. 23. eius in sententiam ito ut sis testis iniurias.*

*Multitudinis flagitia nesequitor: nec in lite de recto in sententiam multitudinis deflesto, neve cum errore quidquam communue habeto.*

*Si aduersarii tui quadrupedem errantem offenderis, ei reducito.*

*Inste indicato; inopique & aduersario, perinde atque diuiti & amico, sis aequus.*

*A mendacio abesto.*

*Insontem & iustum ne interficito.*

*Donum ne accipito, cæcat enim saepissime vel perspicaces & prudentum rationem peruerit.*

*Peregrinum & incolam nulla iniuria afficio.*

*Nomina aliorum deorum iureiurando ne usurpato, neve in ore habeto.*

Hæc ea sunt iura quæ rerum omnium præpotens Deus ipse Moysi custodienda proposuit. Vnigenitus porro Dei Filius salus nostra Iesus Christus vbi in mundum venisset, edifferuit palam, non eo se descendisse, legem datam ut violaret, sed ut omni cum mansuetudine & bonitate impleret. Veræ etenim pietatis disciplinam tradidit. Post hunc vero cruci affixum, discipuli (dum adhuc vna essent, nec annuntiandi euangelii causa segregarentur) multas quidem Christo nationes adiunixerunt, & diuinæ voluntatis legatos atque interpretes ad Antiochiam, Syriam, & Ciliciam miserunt. Cumque eis quod ibi accidisset renuntiatum esset, has ad eos literas dederunt. Hæc igitur ea est epistola quam apostoli miserunt omnibus Antiochiæ, Syriae, & Ciliciæ populis, qui quidem a seruitute gentium ad Christum conuersi essent.

*Apostoli & seniores fratres vobis salutem dicunt.*

*Quandoquidem audiuimus quosdam homines a nobis Ex 15. Act.*

Y y iij

nonnullis  
deceptis aut  
additis.

Legum om-  
nium sum-  
ma.

Synodo-  
rum in An-  
glia primus  
flus.

Confilium  
Aluredii  
condendis  
his legibus.

profectos vos sermonibus turbauisse; cumque nonnulla, quæ certe a nobis mandata non habebant, vobis indicere vellent, animos vestros errore potius labefactasse, quam fana & integra instituisse doctrina: visum est nobis una coactis, electos viros ad vos mittere, Barnabam, & Paulum, qui suam vitam exposuerunt pro Christi nomine; una cum his misimus Iudam & Silam, qui & ipsi verbis eadem referant. Visum est enim sancto Spiritui & nobis, nihil amplius necessarii oneris imponere quam hæc: Abstinendum esse ab iis quæ simulacris immolata sunt, & sanguine, & suffocato, & stupro: Et quod vobis fieri non velitis, id alii ne faciatis.

Ex hoc vnico præcepto satis liquet, vnicuique ex æquo ius esse reddendum, neque enim alio quocumque iudicali libro opus fuerit: hoc solum meminerit qui sedet in alias iudex, nolle se aliam de aliis proferre sententiam, quam de se ipso latum iri voluerit. Vbi vero propagato Dei euangelio plurimæ nationes atque adeo Angli verbo Dei fidem adiunixerant, nonnulli per orbem terrarum Coetus, atque etiam in Anglia episcoporum aliorumque clarissimorum sapientum Conuentus agebantur: atque hi diuina edocti miseratione cuique iam primum peccanti poenam imperabant pecuniariam, eiisque ( absque omni diuinæ offensionis concitatione ) exigenda munus magistratibus ( data prius venia ) deferebant. Proditori tantummodo ac domini desertori hanc mitiorem poenam haud infligendam existimarunt; quippe qui eiusmodi viro minime parcendum censuerunt: tum quod Deus contempentes sui omni miseratione indignos voluit, tum quod Christus illorum qui ei mortem obtulerunt, non est omnino misertus: dominum vero præ ceteris colendum statuit. Hi igitur multis quidem in concionib[us] singulorum scelerum poenas constituerunt, easdemque literarum monumentis commendarunt.

Has ego Aluredus rex sanctiones in vnum collegi, atque easdem literis mandaui, quarum bonam certe partem maiores nostri religiose coluerunt. Multa etiam mihi digna videntur quæ a nobis hac etiam ætate pari religione offerentur: nonnulla tamen quæ nobis minus commoda videbantur ex consulto sapientum partim antiquanda,

partim innouanda curaui. Ac quoniam temeritatis videatur ex suis ipsius decretis quemquam plura literarum monumentis consignare, tum etiam incertum sit qualem apud posteros habitura sint fidem quæ nos magni facimus: quæcumque in actis Inæ gentilis mei, Offæ Merciorum regis,  
vel Ethelberti ( qui primus Anglorum sacro tinctus est baptismate ) obseruatu digna deprehendi, ea collegi omnina, reliqua plane omisi. Atque in ipsis discernendis, ego Aluredus occidentalium Saxonum rex, prudentissimum e nostris consilio vsus sum, atque iis omnibus placuit edicione eorum obseruationem.

## LEGES ECCLESIASTICÆ

ALVREDI MAGNI REGIS ANGLORVM

e ciuilibus suis aliis decerpta.

## TITVL V LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>De iureiurando &amp; pignore.</i>             | XI. <i>De eo qui monacho numerum concrederit.</i>        |
| Ll. Sax. cap. 1.                                    | Ll. Sax. cap. 20.  |
| II. <i>De immunitate templi.</i>                    | XII. <i>De sacerdotum pugna.</i>                         |
| Ll. Sax. cap. 2.                                    | Ll. Sax. cap. 21.  |
| III. <i>De fideiustione violata.</i>                | XIII. <i>De stupro.</i>                                  |
| Ll. Sax. cap. 3.                                    | XIV. <i>De eo qui se religione obstrin git.</i>          |
| IV. <i>De sacrarum adiunctorum immunitate.</i>      | Ll. Sax. cap. 25.  |
| Ll. Sax. cap. 5.                                    | XV. <i>De pugna coram senatore, vel sacerdote regio.</i> |
| V. <i>De sacrilegio.</i>                            | Ll. Sax. cap. 34.  |
| Ll. Sax. cap. 6.                                    | XVI. <i>De pace violata in urbe regia.</i>               |
| VI. <i>De iis qui moniales e templis rapuerint.</i> | Ll. Sax. cap. 36.  |
| Ll. Sax. cap. 8.                                    | XVII. <i>De terra ex scripto possessa.</i>               |
| VII. <i>De fornicantibus.</i>                       | Ll. Sax. cap. 37.  |
| Ll. Sax. cap. 10.                                   | XVIII. <i>De diebus festis &amp; solennibus.</i>         |
| VIII. ....  | Ll. Sax. cap. 39.  |
| IX. <i>De pugna.</i>                                |  |
| X. <i>De eo qui monialem contredit.</i>             |  |
| Ll. Sax. cap. 15.                                   |  |
| XI. <i>De eo qui monialem contredit.</i>            |  |
| Ll. Sax. cap. 18.                                   |  |

## LEGES ECCLESIASTICÆ.

## I.

**I**N primis ( ut quidem est apprime necessarium ) iuris iurandi, & dati pignoris religionem, omnibus studiose ac diligenter curandam proponimus: tum si quis necessitate coactus iurauerit, pignusve posuerit, quo is ad insidias domino suo parandas, vel ad opem iniuste cuiuis afferen-

dam astringatur, resiliat potius, quam cœpto infistat suademos. At si spoponderit quod iuste & legitime præstare poterit, neque præstiterit, arma fortunasque suas omnes amicorum fidei concredito, ipse in custodiam regiam 40. dies mittitor, subiturus id supplicii quod ei episcopus pro meritis imposuerit. Hic si ex proprio non habuerit quod edat, cognati ei cibum suppeditanto. Sin etiam cognati (si quos habuerit) eius vietui suppeditando impares fuerint, ipsum præpositus regius sustentato. Atqui si ad armorum deditio[n]em vi vinclisque constrictus perpellatur, armis & rebus suis omnibus mulctator: & si contumaciter resistendo mortem occubuerit, solutio æstimationis capitis eius non esto. Sin fugam agitarit, fugientemque anteuenterint, 40. dies in carcerem (vt quidem antea fieri oportuit) coniicitor. Verum si fuga elapsus fuerit, ab omni legis patrocinio destitutus habetur, atque in omnibus Christi ecclesiis anathema esto. Quod si quisquam alias pro eo fidem dederit, poenas fideiussionis violatae dato, & fidei læsa supplicium quod ei fuerit a sacerdote imperatum subito.

## II.

Criminis cuiuscumque noxijs (si quidem id villam regis, aut familiam honoratam aliquam non attingat) si ad fanum confugerit, tres noctes quibus saluti sua prospiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. Ac si quis eum per id temporis plagarum, vinclorum, aut vulnerum metu profigarit, mulcta, vel ipsa capitis æstimatione, prout eius gentis feret consuetudo, noxiam omnium sarcito: fani porro ædituis 120. solidorum numeratione pacis ecclesiæ violatae poenas luito.

## III.

Qui fideiussionem regi oblatam violarit, noxiam prout æquum fuerit sarcito, & ipsa fideiussionis violatio quinque libris Merciorum denariorum pensator. Violatio fideiussionis aut pacis archiepiscopo datae, 3. libris æstimator: episcopis aut senatoribus, duarum librarum censetor.

## IV.

Vnicuique porro templo religiose ab episcopo consecrato hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur, isque templi suffugium implorarit, per septem dies a nemine abstrahitor, si quidem præ fame viuere possit, &

viam

viam vi non aperuerit. Qui secus fecerit, violationis pacis regis & ecclesiæ tenetor, & criminis etiam grauioris, si quid inde rapuerit. Quin si ædituis magnopere fuerit illo loco vtendum, illum alia in domo quæ plura non habeat ostia quam ipsum templum inclusum curanto, fanoque præpositus ei interim cibus ne suppeditetur videto. Verumtamen si is in ditionem aduersariorum arma sua dedere voluerit, 30. diebus incolumem illi eum custodiunto, & tum demum cognatorum in manus tradunto. Porro autem hoc pacis beneficio ecclesia fruitor. Si quis commissi alicuius maleficii, prius tamen non patefacti conscientius, ad templum confugerit, idemque in Dei nomine fassus fuerit, dimidium mulctæ ei remittitor.

## V.

Qui in templo quid cleperit, simplicem rei surreptæ valorem soluito, mulctam precio rei congruam pendito, & manus quacum furatus est ei præciditor. Qui si manum precio redimere voluerit, idque ei concedatur, proprii capitis æstimatione data id facito. Qui die dominico, festo nativitatis Domini, aut paschatis sacrosancto Iouis die, aut diebus lustrationis, furtum admiserit, perinde ac si tempore quadragesimæ id flagitiæ perpetrasset, duplo noxiæ sarcito.

## VI.

Qui monialem de cœnobio citra bonam regis aut episcopi veniam eduxerit, 120. solidos numerato, quorum 60. regi dantor, residui episcopo & ipso cœnobii præfæto. Femina vero & infans, si quem procrearit, et si raptore mortuo superstites fuerint, omni tamen fortunatum eius parte excidunt. Infans porro si quando occidatur, eam æstimationis capitis partem quæ ad maternam cognitionem spectabit rex habeto, paterni vero consanguinei propriam ipsorum partem consequuntur.

## VII.

Si quis vxorem viri 1200. solidis æstimati pelleterit, dato eo nomine eius viro 120. solidos. Si cum vxore hominis qui 600. censetur solidis fornicetur, pendito solidos centum. Si quis cum vxore hominis pagani rem habuerit,

*Concil. Tom. 24.*

Zzz

40. solidos soluito. Atque solutio hæc tota, pecude præstanda est: homo tamen propterea ne venditor.

## VIII.

Qui mamillas vxoris viri cuiuscumque pagani manu tractarit petulanti, feminæ solidos sex numerato. Eam si is humili prostrarit, nec tamen cum illa rem habuerit, 10. solidos pendito. Sin cum ea coierit, 60. solidorum poena esto. Et si quis alias eam prius adulteratus est, 30. tamen solidis noxiā sarcito. Is porro si propterea in ius vocetur, aut pro ratione 60. hydarum criminationem diluto, aut mulctæ partem dimidiam pendito. Illud ipsum si mulieri illustriori familia oriundæ contigerit, mulcta (prout eius fuerit capitis æstimatione) augetor.

## IX.

Qui præsente archiepiscopo dimicari, ferrumve distinxerit, 150. solidis mulctator: sin præsente episcopo aut senatore pugnatum fuerit, 100. solidis culpa pensator.

## X.

Qui monialis vestem, aut illius vbera inuitæ manu tractarit petulanti, quod ei qui feminam plebeiam contrectarit imperauimus, id duplum præstato.

## XI.

Si quis monacho citra bonam cœnobiarçæ veniam pecuniam concrediderit, eaque funditus perierit, illius damno sit qui commisit.

## XII.

Sacerdos si quempiam interfecerit, eorum omnium quæ ope domicilii fretus acquisierit, confiscatio sequitor; eumque gradu spoliatum episcopus e fano pellito, ni dominus data capitis æstimatione veniam illi exorarit.

## XIII.

Qui per vim pagani hominis ancillam stuprarit, pagano solidos fēnos numerato, & 60. præterea solidis mulctator. Seruus si seruulam stuprarit, virga virilis ei præcedit. Qui teneræ ætatis virginem stuprarit, eadem lege tenetor qua is qui adultam compresserit.

## XIV.

Si quis Deo fœse religione obstrinxerit, eumque aliis criminetur, eorum aliquid quæ nuncuparat non persoluī-

se, ipse primus in quatuor templis eius rei fidem iure iurando firmato, tum alter ( si se criminis suspicione liberare voluerit ) in duodecim templis id facito.

## X V.

Si quis coram senatore regio in frequenti plebis conacione dimicarit, tum capit is estimationem, tum mulctam, prout æquum fuerit, præstato: & senatori 120. solidos numerato. Qui coactam populi concessionem armorum extractione commouerit, dato senatori 120. solidos. Hoc ipsum si præsente alio quocumque in locum eius substituto, aut coram sacerdote regio euenerit, 30. solidis culpa penitentia.

## X VI.

Pacis in vrbe regia violata pœna 120. solidorum esto: in vrbe archiepiscopi 90. solidorum: in vrbe episcopi aut senatoris, 60. solidorum censeatur. Pacis violatio in villa hominis 1200. solidis estimati, 30. solidis pensatort in villâ eius qui 600. censetur solidis, 15. solidorum solutione sarcitor. Qui pagani sepem perruperit, 5. solidis mulctator. Si tale quidpiam in profectione militari, aut tempore quadragesima delinquitur, duplo compensator. Qui tempore quadragesimæ velum sacrosanctum venia non impetrata coram auulserit, 120. solidos dato.

## X VII.

Qui terram habuerit per scripturæ seriem sibi a maioribus relictam, ab heredibus ad alios alienandi potestas ei non est, si quidem præsentibus cognatis coram rege, aut episcopo, scriptura aut testimonio probetur, omni alienatione ei interdixisse illum qui prius concessit, talemque ei imposuisse legem cum primo dederit.

## X VIII.

Hisce diebus sequentibus festa liberis & ingenuis omnibus licentia conceditor: seruis autem atque iis qui sunt legitima officiorum seruitute obligati, non item. Duo decim dies a festo natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolum. Dies quo agitur anniversarius beati Gregorii festus. Dies ante festum paschatis septem, & totidem dies festum illud in sequentes. Dies festus beatorum Petri & Pauli. In autumno integra quæ est ante festum Mariæ septimana. Dies festus omnium sanctorum.

*Concil. Tom. 24.*

Zzz ij

Præcaepi-  
scopireue-  
rentia.

Quatuor autem diebus mercurialibus in quatuor illis septimanis quibus publicum edici solet ieunium, seruis omnibus festa dator licentia, ut omnem eorum operam in illorum insument utilitatem, a quibus antehac in Dei nomine beneficia acceperint, aut de quibus in posterum ex collocata eorum opera bene promereantur.

ANTIQUA VERSIO ISTARVM  
ALVREDI MAGNI LEGVM,  
IVXTA REGII CODICIS ET IORNALENSIS  
manuscriptorum exemplaria.

Iornalensem hic secuti sumus, quod capitulum titulos exhibet, qui in regio desiderantur: regii tamen varietates in interiori margine annotauimus.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM  
SECUNDVM IORNALENSEM.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>De iure iurando &amp; vadiis.</i> Ll.                                     | Sax. cap. 18. Iorn. 20.   |
|   | Sax. cap. 1. & Iorn. cap. 1.  |
| II. <i>De confugio ad ecclesiam.</i> Ll.  | XII. <i>De pecunia commissa monacho.</i> Ll. Sax. cap. 20. Iorn. 23.                |
|   | Sax. cap. 2. Iorn. 2.   |
| III. <i>De infractione plegii regis vel episcopi.</i> Ll. Sax. cap. 3. Iorn. 3. | XIII. <i>De presbytero homicida.</i> Ll. Sax. cap. 21. Iorn. 24.                    |
| IV. <i>De pace ecclesiarum &amp; earum libertate.</i> Ll. Sax. cap. 5. Iorn. 5. | XIV. <i>De violento concubitu femme villanae.</i> Ll. Sax. cap. 25. Iorn. 28.       |
| V. <i>De furatis die festo.</i> Ll. Sax. cap. 6. Iorn. 6.                       | XV. <i>De seruo qui seruam violenter cogat.</i> Ll. Sax. cap. 25. Iorn. 29.         |
| VI. <i>De furatis in ecclesia.</i> Ll. Sax. cap. 6. Iorn. 7.                    | XVI. <i>De [ Dei ] plegio violato.</i> Ll. Sax. cap. 29. Iorn. 36.                  |
| VII. <i>De ducente sanctimoniale ab ecclesia.</i> Ll. Sax. cap. 8. Iorn. 9.     | XVII. <i>De fractura borgi regis vel archiepiscopi.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 44. |
| VIII. <i>De sponsa fornicata.</i> Ll. Ll. Sax. cap. 10. Iorn. 12.               | XVIII. <i>Defractione sepis ruficci.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 45.                |
| IX. <i>De iniuria cylifica feminae.</i> Ll. Sax. cap. 11. Iorn. 13.             | XIX. <i>De velo in quadragesima iniuste deposito.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 46.   |
| X. <i>De illis qui pugnant coram archiepiscopo.</i> Ll. Sax. cap. 15. Iorn. 17. | X X. <i>De festiuitatum obseruatione.</i> Ll. Sax. cap. 39. Iorn. 50.               |
| XI. <i>De apprehensione nunne.</i> Ll.  |   |

LEGES ECCLESIASTICÆ  
ALVREDI REGIS.

## I.

In primis, quod maxime necessarium est, cuicunque fidelium fidem & iuramentum suum, multa, ut conuenit, obseruantia custodire. Si quis tamen ad alterutrum cogatur iniuste, vel ad proditionem domini, vel iniustum aliquod adiutorium, rectius est hoc ementiri quam implere. Si quis autem vadet quod fieri iustum sit, & transgreditur, committat arma sua & pecuniam amicis suis in custodiā, & sit quadraginta noctibus in carcere ad mansio-  
nem regiam, & pœnitentia secundum iussionem episco-  
pi sui, & parentes eius pascant eum, si ipse victum non ha-  
beat. Si parentes non habeat aut cibum, præpositus re-  
gis procuret eum: & si cogi oporteat, & aliter nolit; Si li-  
getur, perdat arma sua cum tota pecunia sua. Si occida-  
tur, inultus iaceat. Si aufugerit ante terminum, & item ca-  
piatur, sit quadraginta noctibus in carcere, ut ante debue-  
rat. Si amittatur, sit \* forbannitus, & excommunicatus ab  
omnibus Christi ecclesiis. Si tunc aliquis plegius intersit,  
emendet infractionem plegii, sicut rectum edocebit, &  
infractionem vadit secundum pœnitentia censuram.

## II.

Si quis ad ecclesiæ mansionem pro quacunque culpa configiat, quaæ ad firmam regis \* non pertineat, vel alteri commodo deseruiat, & venialis sit, habeat \* trium noctium terminum cauendi sibi, nisi reconciliari quæsierit. Si quis \* in hunc terminum malignauerit \* eum vinculis aut verberibus, emendet secundum eorum rectitudinem patriæ, vvera, vvita, & ecclesiæ ministris centum viginti solidos, pro infractione pacis.

## III.

Si quis † plegium regis infringat, emendet inculpatio-  
nem, sicut rectum est, & infractionem plegii 5. libris Mer-  
ciorum denariorum. archiepiscopi † Borbbrice sive † Mund-  
brice emendetur 3. libris: aliorum episcoporum vel comi-  
tum, 2. libris.

## IV.

Item statuimus omni ecclesiæ dedicatæ, pacem habeat.

Z z z iii

## 550 ALVREDI MAGNI REGIS

Si quis factiosus incurrat, vel ad eam confugiat, nullus eum septem diebus contingat vel extrahat. Si quis hoc praefumat, culpabilis sit infractionis regiae pacis & ecclesiae: & amplius, si foris faciat; amplius, si pro fame viuere possit, si non,<sup>\*</sup> in prælietur. Si æditui maius opus habeant<sup>\*</sup> ecclesiæ suæ, custodiant eum in alia domo quæ non habeat plura ostia quam ecclesia, & caueat ipsius ecclesiæ senior ne interim reum pascant. Si inimicis suis arma sua reddiderit, & se dederit, seruetur triginta noctibus, & parentibus & amicis suis<sup>\*</sup> offeratur.

Item qui ad ecclesiam confugiet pro quacumque culpa quæ non<sup>\*</sup> propalata sit, & eam in nomine Domini gratis<sup>\*</sup> confitetur, dimidium forisfacti condonetur ei.

## V.

Qui furatur die dominica vel in sancto natali, vel in passcha, vel<sup>\*</sup> in ascensione Domini, in quolibet eorum volumus dupliciter emendandum sit, sicut in quadragesimali ieunio.

## VI.

Si quis in ecclesia furetur aliquid, restituat hoc semel, & foris factum sicut ad angulum pertinet: & amputetur ei manus de qua furatus [est]. Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur, componat sicut ad vveram eius pertinebit.

## VII.

Si quis sanctimoniale ab ecclesia duxerit sine licentia regis aut episcopi, det centum viginti solidos, dimidium regi, dimidium episcopo, & ipsius ecclesiæ domino cuius monacha fuit. Si ipsa diutius viuat quam qui eam abduxit, nihil de pecunia eius habeat. Si infantem procreauerint, nihil inde habeat infans, sicut nec mater eius. Si puer eorum occidatur, habeat partem rex maternæ cognationis, parentes patris partem suam habeant.

## VIII.

Si quis fornicetur cum vxore hominis<sup>†</sup> *Tuwelfhides* emendet ipse marito 120. solidis: homini<sup>†</sup> *Sexhindo* 100. solidis, <sup>†</sup> *cyrlico* 60. solidis emendet, & hoc in viuenti<sup>†</sup> capitali componatur, & nemo vendatur pro eo.

## IX.

Si quis<sup>\*</sup> cyrlicæ feminæ peccatum apprehendat, 5. solidis<sup>\*</sup> pagat

<sup>†</sup> qui 1200.  
affimatur.

<sup>†</sup> qui 600.

<sup>†</sup> Pagano.

<sup>†</sup> peccate.

emendetur ei. Si supinet eam, nec tamen concubat cum ea, decem solidis emendet. Si concubuerit, sexaginta solidis emendet ei. Si aliquis cum ea iacuerit antea, sit emendato medietas hoc. Si accusetur inde,<sup>\*purgat</sup> adlegiet se per sexaginta hydas, vel dimidium emendationis amittat. Si hoc in nobilius oriunda muliere contigerit, crescat emendatio sicut eius natalis ingenuitas erat.

## X.

Si quis coram archiepiscopo pugnet, vel arma extrahat, emendet 130. solidis. Si coram alio episcopo vel aldermanno faciat, 120. solidis emendetur.

## XI.

Si quis nunnam causa fornicationis in vestes aut in sinum sine licentia comprehendat, sit hoc duplo emendabile, sicut ante simpliciter de laica decreuimus.

## XII.

Si quis alterius monacho pecuniam commendauit sine licentia domini ipsius monachi, & amittatur, nihil inde recipiat qui commisit ei.

## XIII.

Si presbyter hominem occidat, capiatur, & totum unde sibi mansionem emerat: & exordinet eum episcopus, & ab ecclesia reddatur, nisi dominus suus componere velit vveram eius.

## XIV.

Si quis ceorlus mancipium ad violentum concubitum comminetur, emendet ipsi ceorlo, id est rustico, 5. solidis & sexaginta solidis vvitæ.

## XV.

Si seruus seruam cogat ad violentiam perferendam, castretur.

## XVI.

Si quis alii Dei plegium intentet [*ide est, eum criminetur qui Deo se obstrinxerit in famulatum*] & compellare velit quod ei aliquod eorum non compleuerit, periuret hoc in quatuor ecclesiis; & si aliud se purgare velit, in duodecim ecclesiis hoc faciat.

## XVII.

Regis Burghbreche [*ide est, pacis in regio burgo violatio*] est centum viginti solidorum. [*in Burgo*] archiepiscopi, 90.

552 ALVREDI ET GUTHVRNI RR.

solidorum, episcopi & aldermanni quem Latine comitem vel seniorem dicunt, 60. solidorum: *Tvvelshindi* [ *id est*, eius qui 120. solidis æstimatur ] 30. solidorum: *Sexbindi* hominis, 15. solidorum.

XVIII.

Ceorli ederbrece, *id est*, rustici sepius fractio 5. solidis emendetur. Si horum aliquid eueniat quando exercitus foris est, vel in quadragesimali ieunio, sit dupliciter emendandum.

XIX.

Si quis in quadragesima sanctum velum in populo sine recto deponat, emendet 120. solidis.

XX.

Omnibus liberis hominibus dies isti condonati sunt, præter seruos & pauperes operarios: 12. dies in sancto natali Domini, & dies in qua Dominus Iesus de diabolo triumphauit: & sancti Gregorii memorialis dies, & septem dies in pascha, & septem supra; & unus dies in festo apostolorum Petri & Pauli: & in Augusto plena hebdomada ante festum sanctæ Mariæ, & in omnium sanctorum veneratione, *id est*, dies; & quatuor dies Mercurii in 4. legitimis ieuniis, seruis omnibus indulti sunt dare cui magis voluerint; vel qui eis pro nomine Domini aliquid benefecerint, vel ipsis deseruire potuerint in aliqua portione vicis suæ.

LEGES ECCLESIASTICÆ

AB ALVREDO MAGNO REGE ANGLORVM,  
& Guthurno rege Anglodanorum in Concilio quo fœdus inierunt sanctæ.

Desiderantur in Lambardi *Ægriporumia*, sed hic addidimus ex historia Iornalensi seu Iernalensi manuscripto.

TITVL LI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>De dilectione Dei &amp; pace ecclæsiæ.</i> Ll. Sax. cap. 1.                         | bus. Ll. Sax. cap. 3.  |
| II. <i>De negligentibus legem Christi &amp; paganisimū venerantibus.</i> Ll. Sax. cap. 2. | IV. <i>De presbyteris falso pronuntiantibus festum vel ieunium.</i> Ll. Sax. cap. 3. |
| III. <i>De ordinatis male viventi-</i>  | V. <i>De presbyteris rectis terminis chrisma non perquirentibus, vel</i>             |

ba-

